



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Quomodo in creatis prædicentur abstracta de concretis. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

dicatur vnus de quolibet subiecto, plurimis vero formis abstracte sumptis non conueniant termini positiui, consequens est vt conueniant negatiui: vnde verè dicitur materia non videns, non intelligens: quia vero inter priuatiue opposita datur medium per negationem vtriusque extremi, nomina priuatiua non dicuntur de abstractis, nisi subiectum: quod connotant de ijs dicatur. Et quoniam cæcum connotat animal, humanitas non dicitur cæca, quoniam non est animal, dicitur tamen natura Angeli incorporea, quia incorporeum connotat ens, quod verè dicitur de natura. Denique entia rationis habentia ex æquo fundamentum in natura, & constituto per ipsam, verè de illa dicuntur: qua de causa non solum homo, sed etiam humanitas dicitur composita, distincta, &c. Quod attinet ad nomina concreta differentiarum quomodo eandem omnino differentiam significant, cum dicuntur de concretis, & abstractis specierum, quas constituunt, & quomodo differant penes diuersam connotationem recte explicat Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 28. q. 13. sect. 5.

Quomodo in creatis prædicentur abstracta de concretis.

CAPVT IV.

Abstracta comparari possunt vel cum proprijs concretis, vel cum concretis aliarum formarum, si hoc secundo modo comparentur, planum est posse de illis enunciari. Probatur quoniam per regulas conuersionis in logica tradi solitas propositio affirmatiua particularis & indefinita conuertitur in particularem vel indefinitam, vt vero constat ex dictis cap. præcedenti, concretum connotatiuum interdum prædicatur de abstracto, ergo & hoc de illo verè prædicabitur, patet exemplis: nam si verè dicitur materia est incorruptibilis, recte sequitur, ergo aliquid incorruptibile est materia: forma dependet à materia; ergo aliquid dependens à materia est forma. Ex concretis vero, quæ de abstractis prædicantur, quædam sunt connotatiua, siue adiectiua, quædam absoluta. Et quidem si connotatiua sint in conuersione cum ponuntur ex parte subiecti, habent modum absolutorum. Nam adiectiua vt ait D. Thomas 1. parte quæst. 39. art. 5. ad quintum, non ferunt secum suum suppositum, sed rem significatam ponunt circa substantium, & idèd non

reddunt suppositum Verbo: atque adèd nihil omnino prædicatur de connotatiuo adiectiue sumpto, propter quod dixit Adam in 1. dist. 33. quæst. vii. art. 3. dub. 2. in adiectiuis non valere regulas conuersionis, quia scilicet terminus adiectiuus, qui est à parte prædicati, nisi fiat substantiuus, non potest poni à parte subiecti, potest autem si substantiue sumatur, vt patet in exemplo adducto, tunc vero non erit prædicatio per se, ac directa, quoniam semper connotatiuum significat per modum formæ, & idèd magis secundum naturam est vt prædicetur, quam vt subiiciatur: est tamen operæpretium inquirere signum, quo discerni queat, de quibusnam concretis huiusmodi possint abstracta prædicari: nam pleræque formæ insunt per se, & immediate naturis ipsis, nec tamen illis verè subiiciuntur: humanitas enim immediatius recipit accidentia quam homo, nec tamen dicitur Rex est humanitas.

Pro huius dubij solutione obseruandum nomina concreta, tam substantialia, quam accidentalia, quædam significare subiectum per se subsistens, quædam vero nequaquam, sed habere se indifferenter ad subsistens, & non subsistens, vt est rationale, vel irrationale, incorruptibile, vel corruptibile substantiue sumpta. De concretis igitur prioris generis non prædicantur formæ abstracte significatæ, prædicantur autem de concretis posterioris. Ratio est, quoniam formæ abstracte sumptæ non sunt subsistentes, nec connotant subiectum subsistens: ergo nequeunt de illo prædicari, possunt vero de eo, quod non est subsistens. Et idèd hæc est vera, corruptibile est humanitas, hæc autem falsa, Rex est humanitas: nam quamuis nomen Rex non significet formam subsistentem, significat tamen illam compositam subiecto subsistenti, quod est materiale significatum nominis pro quo supponit, corruptibile vero non necessariò significat formam compositam subiecto per se subsistenti, dicitur enim de materia prima, & alijs, quæ per se non subsistunt. Idem dicendum de concretis substantialibus: hæc enim est vera, rationale est humanitas, hæc autem falsa, animal est humanitas, quia animal necessariò significat per se subsistens, non vero concreta differentiarum. Signum vero ex quo deprehendi potest, quæ nomina significant subsistens, debet sumi à diffinitione rei significatæ per nomen, etsi id quod in diffinitione habet locum generis sit solum

II.

commune subsistentibus, nomen significat subsistens, si vero sit commune subsistenti, & non subsistenti, non necessario illud significat. Ratio est quoniam de quocunque verè predicatur nomen diffiniti, predicatur etiam diffinitio, & è contra de quo predicari nequit diffinitio, nequaquam predicatur nomen diffiniti, & idcirco quoties subiectum, quod in recto collocatur in diffinitione, non predicatur verè de aliquo nomine, etiam nomen diffiniti non predicatur de ipso, quare cum corpus, quod ponitur in diffinitione candidi, non verè predicetur de humanitate, etiam candidum de illa non predicatur & è contra. Itaque ad diiudicandas predicationes concretorum de abstracto, & vice versa hæc regula est certissima. Quoties forma significata per predicatum conuenit significatæ per concretum, si terminus positus in recto loco generis in diffinitione concreti verè predicatur de abstracto, ipse quoque terminus concretus predicabitur, minimè vero si ille non predicetur. Exemplum primi cernitur in hac propositione, materia est incorruptibilis. Nam corruptibile in tota sua latitudine sumptum diffinitur per aliquid, aut per ens tanquam per genus, cumque id verè predicetur de materia, cui re ipsa conuenit incorruptio, incorruptibile quoque de materia verè predicabitur, & hæc vicissim de incorruptibili. Exemplum secundi apparet in hac: humanitas est colorata: coloratum enim diffinitur per corpus in recto: hoc vero non predicatur verè de humanitate, & idèò quantumvis color insit humanitati, non potest de illa verè predicari. Quod vero attinet ad comparationem abstractorum cum proprijs concretis, opus est distinctione, quedam enim sunt accidentalia, quedam substantialia, de accidentalibus non est controuersia: nam cum concreta semper connotent subiectum, quod abstracta minimè connotant, fieri nequit ut abstractum dicatur de concreto, habet enim respectu eius rationem partis, nulla vero pars potest verè, & in recto predicari de suo toto.

III.

Durand.
Ocham.
Gabriel.

Si vero comparentur abstracta cum concretis absolutis substantialib⁹ in rigore sermonis, verè de illis predicari concedunt Durand. in 1. d. 34. q. 1. à nu. 18. & Ocham. 1. p. Logicæ cap. 7. & in 1. d. 2. q. 7. lit. CC. & d. 5. q. 1. lit. K. & L. & Gabriel. in 3. d. 7. q. vn. art. 3. dub. 1. Corollar. 4. & 5. & ita admittunt hæc propositionem, homo est humanitas, & similes: fundamenta huius opinionis retuli, & impugnaui cap. præcedenti. Dico igitur secundum, abstractum non transcendente nunquam potest verè pre-

dicari de concreto absoluto: hæc est communis ita S. Thom. 1. contra gentes cap. 21. in tertia ratione cum Ferrar. ibidem Henr. in sum. art. 28. q. 5. & art. 75. q. 2. littera C. Agid. in 1. d. 4. 3. p. q. 3. Aureol. q. 2. art. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclusionem 1. Soncin. q. 2. conclusionem 2. Hispal. q. 2. art. 3. notab. 3. Syluest. in cōflato q. 3. art. 3. in fine, & alij communiter, Agid. assignat quatuor rationes ob quas termini abstracti non transcendent in creatis non predicentur de concretis: prima est, quoniam res creatæ non habent formas abstracte significatas in tota sua plenitudine, sed per participationem. Secunda, quoniam creatura est multiplex, perfectio vero reperiata in multiplici, siue composito non dicitur de ipso in abstracto: falso enim dicitur homo est anima. Tertia quoniam in creaturis est accidens, hoc vero non predicatur in abstracto de re, cui accidit. Quarta deniq; quoniam in supposito creato est aliquid, quod non pertineat ad ipsam eius naturam, vel non sit eius natura, quæ rationes ita intelligi possunt ut singulæ sint conuertibiles, & adæquatæ, vel ita, ut quælibet illarum impediatur predicationem abstracti de concreto, non tamen si desit, eo ipso vera erit predicationis: si priore modo accipiantur non sunt omnes idoneæ: ut patet in tertia: nam humanitas non est accidens, nec tamè verè dicitur de homine: nisi forte ita intelligatur, ut propterea forma abstracta non dicatur de subiecto concrete significato, quia hoc inuoluit accidentia, à quibus præscindit forma abstracta: & proinde predicatur per modum partis, nec dicit saltem implicite, & connotatiuè omnia, quæ sunt in subiecto, quod requiritur ad veritatem predicationis: in quo sensu apta ratio est, & frequenter inculcatur à D. Thoma. Itaque rationes omnes sunt eiusmodi, ut si quauis ex illis desit, non fiat vera predicationis abstracti de concreto, ut per singula discurrendo constabit. Ut autem incipiam à prima id, quod habet formam per participationem, non est totum, quod forma: sed aliquid est in ipso participans, aliud vero forma participata, neque hæc totum, quod illud, ubi vero hæc est differentia inter predicatum, & subiectum, non fit vera predicationis abstracti de concreto: siquidem ad veritatem huius predicationis requiritur, ut identitèr quod est, & quo est: quando vero subiectum non est totum, quod forma, aut vice versa, non est idem, quod est, & quo est, & idèò non predicatur verè forma in abstracto de subiecto in concreto. Secunda vero, quoniam, si non sit omnimoda identitas inter predicatum, & subiectum, semper concretum

S. Thom.
Ferrariens.
Henric.

Aureol.
Capreol.
Soncin.
Hispalens.
Syluest.

cretum continet aliquid amplius, quam abstractum: & ita hoc habet rationem partis, nec potest verè prædicari de concreto, quod habet rationem totius. Tertia verò quia accidens est extra naturam subiecti: atque adeo abstracte significatum dicitur per modum eius, quo aliquid est, nõ vero quod est. Quarta denique, quoniam ubi est ratio aliqua non pertinet ad naturam subiecti, semper abstractum significat minus, quam subiectum: & proinde dicitur per modum partis, nec potest verè de illo enūciari. Quod verò prædicari verè possit abstractum de concreto, ubi rationes oppositæ interueniunt patet: nam ubi forma conuenit per essentiam, ac plenitudinem, non differt abstractum, & concretum, penes quod est, & quod est, aut penes habens, & habitum, aut penes totum, & partem: sed forma ipsa est totum, quod est, & quo est: quod habet, & quod habetur: idemq; cernitur quoties forma est omnino simplex, abest enim ratio partis, ac totius: item si res per vtrumque terminum significata est expers accidentis, quidquid ibi est, habet modum formæ intrinsecæ, ac subsistentis: denique ubi nihil est, quod non sit natura suppositi, vel ad eam pertineat, suppositum non includit aliquid à natura distinctum: & ita id ipsum est oppositum, ac natura: res subsistens, & forma, qua subsistit: & ideo vera est prædicatio formæ abstractæ de concreto.

IV. Dico tertium. In terminis transcendentibus verè affirmatur abstractum de concreto absoluto, siue cõueniat siue differat in significato formali: verè enim dicimus ens, & homo est entitas. Hæc ab omnib; cõmuniter recipitur: est tamè difficultas in assignanda ratione, cur termini transcendentes prædicentur de rebus aliis indifferenter tam in concreto, q̃ in abstracto: nam homo dicitur ens & entitas, similiq; modo sapientia est ens, & entitas. Ratio dubitandi est primò, quoniam vel habetur ratio identitatis, aut diuersitatis obiecti significati per vtrumq; terminum, vel modi significandi identitatis, aut diuersitatis eadem cernitur inter hominem, & humanitatem, quæ cernitur inter ens, & entitatē: modus significandi est idem: ergo nõ est ratio, propter quã transcendētia prædicentur in concreto, & in abstracto, reliqua verò nequaquã. Secundo ideo abstracta nõ prædicantur de concretis, quoniam hæc significantur per modum totius, illa per modum partis: pars aut non prædicatur verè, & in recto de toto: sed modus significandi per modum totius, ac partis non minus cõuenit nominibus transcendentibus, quã reliquis: ergo, si reliqua abstracta

sumpta non prædicantur de concretis, nec transcendentia prædicabuntur. Tercio nihil prædicatur de subsistente nisi subsistentiam modo aliquo significet: concreta significant res subsistentes, abstracta vero etiam transcendentia non significant subsistentiam: quare nequeunt de cõcretis prædicari. Quartò, omnes rationes assignatæ ab AEgidio, cur abstractum non prædicetur de concreto, reperiuntur in abstractis transcendentibus, si cõparentur cū concretis entium particularium: ergò, sicut reliqua non prædicantur, neq; transcendentia prædicabuntur. Antecedens patet, quoniam homo nõ est entitas per essentiam, ac plenitudinē, esset enim Deus: item in homine est ratio entis compositi: est particeps accidentis: deniq; non quidquid in ipso est, pertinet intrinsece ad naturam: ergo desunt illi omnes illæ quatuor conditiones requisitæ ad veram prædicationem abstracti de concreto.

V. Ut aut pateat, quomodo rationes illæ accommodari possint nominib; transcendentibus, obseruandū est eiusmodi conditiones adesse p se, & necessario significatis quorundam nominū, aliorū verò solū permissiue: quia sc. ipsa nomina significant rationes obiectiuas carētes cõditionibus oppositis, nõ tamè excludēt. Prioris generis sūt nomina perfectionū diuinarū, posterioris sunt transcendentia: nam, cum dicantur etiã de Deo, nõ possunt significare rationes obiectiuas admixtas imperfectionibus, & ideo in sua cõmuni significatione, nõ dicunt ens per participationē, nec rationē compositionis, accidentis, aut diuersitatis actualis: contra verò, cum dicatur de creaturis, in quibus hæc perfectiones reperiuntur, illas nõ necessario excludūt: sed abstrahunt ab imperfectione, & perfectione. Non sufficit autē ad veritatē prædicationis abstracti de concreto, vt cõditiones illæ adsint pmissiue significato nominis, alioquin omnia nomina abstracta cõmunia Deo, & creaturis dicentur de cõcretis creatis: & hoc modo Socrates non solum erit iustus, sed iustitia: non solum sapiens, sed sapientia: quod tamen est falsum. Requiritur autem præterea, vt nihil sit ex parte subiecti, quod non cõtineatur in significato formali prædicati abstracte sumpti: nam, si aliquid significet concretum, quod non significetur nomine abstracto, significatum huius habet se per modum partis ad significatum illius: & consequenter abstractum non poterit verè prædicari de concreto. Ex quo provenit, vt in terminis creatis nõ verè prædicentur abstracta pō transcendētia de concretis: nõ enim verè dicitur ho-

sapiens designando Socratem, est sapientia: quoniam hoc sapiens saltem de materiali significato includit subsistentiam, quam non vendicat significatum nominis sapientia, nec ex ratione communi, neque ex ratione particulari sapientie create, ratione cuius predicatur de Socrate: & ideo in Socrate non est idem esse sapiens, ac sapientia; quod etiam videre est discurrendo per alia nomina communia perfecte & in nobis creatis, & increatis: quæ proinde, cum sumuntur pro rebus creatis, predicari nequeunt in abstracto de concretis.

VI.

At vero nomina, ens & entitas respectu cuiusvis obiecti, ita se habent, ut nihil sit in illo, quod non significet, si non explicite, ac distincte, confuse tamen, & implicite: quiddam enim est in quavis re, est ens, & entitas: & ideo ratio entitatis comparata cum significato cuiusvis nominis positiui non habet rationem partis, de cuius ratione est, ut præscindat mutuo ab aliqua parte: id vero repugnat significato nominis, entitas: ut per se patet: nam fieri nequit, ut ratio entitatis separetur ab aliqua ratione formali positiua: ita ut maneat contradiuisa ab illa per modum partis: cum ergo ideo abstracta non prædicentur de concretis, quia hæc se habent per modum totius, illa per modum partis, & hæc ratio cesset in nomine ens, & entitas, utrumque de se mutuo prædicatur. Non solum vero prædicatur entitas de ente, sed de omni eo, de quo ens ipsum prædicatur: nam quidquid prædicatur essentialiter de prædicato, dicitur etiam de subiecto: ideoque veræ quoque sunt hæc propositiones, homo est entitas, lapis est entitas, Socrates est entitas; entitas enim ambit quidquid est in homine, lapide, Socrate, & quouis alio subiecto particulari: neque cum eis facit compositionem, aut vendicat distinctionem, aut adest per modum accidentis, sed quidquid in eis est totum, pertinet ad naturam entitatis. Quæ conditiones minime cōpetunt ulli alij nomini abstracto communi Deo, & creaturis.

VII.

Ad primum argumentum, dandum est primum membrum maioris propositionis. Ad cuius impugnationem negandum est eandem identitatem, aut diuersitatem reperiri inter ens, & entitatem, quæ cernitur inter hominem, & humanitatem: ratio est, quoniam nomina communia Deo, & creaturis: qualia sunt ens, & entitas, non significant compositionem, sed re simpliciter: at vero nomina propria creaturarum significant compositionem. Nam hæc est de ratione entis compositi: & ideo cum nomina significant ea, quæ sunt de ratione significati, nomina concreta creaturarum significant compositionem, vel naturam cum supposito, vel accidentis cum subiecto,

quæ non significant nomina abstracta: & ideo quoad obiectum significatum, maior est distinctio inter hominem, & humanitatem, quam inter ens, & entitatem. Ad secundum respondetur non ideo præcise abstracta non predicari de concretis, aut viceversa, quia significat per modum partis, ac totius: nam, si hæc esset ratio, cum ex æquo reperitur in omni prorsus abstracto & concreto, nunquam daretur ulla prædicatio vera abstracti de concreto. Ratio vero, cur non vere prædicetur, est, quia obiectum significatum per abstracta habet rationem partis obiecti significati per concreta. Ad tertium dicendum est, quauis concreta significantia particulares naturas significant subsistentiam saltem connotatiue, concreta tamen transcendunt illam non necessario significare: alioquin falso diceretur, candor est ens, humanitas est vna, & sic de cæteris transcendentibus, quæ concrete supra dicitur de particularibus entibus tam concrete, quam abstracte significatis. Quæ solutio ostendit quomodo abstracta transcenduntia possint de suis concretis prædicari: v. g. entitas de ente: nondum tamen apparet, quomodo verè prædicentur de concretis particularium naturarum, si hæc subsistentia significant. Pro quo supponendum, ut prædicatum dicatur de subiecto minimè requiri, ut significet formaliter, & explicite quæcumque; in illo continentur: sed latere esse, ut significet implicite: quomodo quoduis prædicatum superius significat omnia sua inferiora, ut homo indiuidua humanitatis, animal species omnes, & indiuidua sub ipso contenta: at vero subsistentia vere continetur sub entitate, est enim entitas quædam: & ideo ex hac parte non est ullum impedimentum, quominus prædicetur de concretis, quantumcumque; hæc significant subsistentiam. Ad quartum respondetur nullum nomen abstractum comparatum cum concreto creato proprie vendicare ullam ex illis conditionibus, quoniam omnis forma per nomen abstractum significata cōuenit subiecto creato per participationem: admittit in illo aliquam compositionem, & accidet extra naturam subiecti, ut in argumento ostenditur: transcenduntia tamen permissiue saltem illas habent comparatione proprii concreti: nam entitas comparata præcise cum ente non vendicatur ab illo per partem, non facit cum illo compositionem, non habet accidet extra naturam ipsius, sed quidquid in alterutro est, clauditur etiam in altero: si verò cōparetur cum singulis subiectis particularibus, admittit quidem contrarias conditiones secundum diuersas alias rationes formales: v. g. in homine admittit compositionem ratione animæ, & corporis.

& acci-

& accidens extra naturam humanitatis: tamen, quatenus concipitur sub præcisa ratione entitatis, neq; compositionem, neq; distinctionem, neq; rationem partis, aut accidentis admittit: quidquid enim in quouis subiecto reperitur, non distinguitur ab entitate, non facit compositionem cum ipsa, non est extra rationem illius.

De veritate propositionum constantium utroque termino abstracto.

CAPUT V.

I. Abstracta inter se possunt dupliciter comparari: aut enim se habent ut superiora, & inferiora in recta serie, aut ut formæ disparatæ, quarum neutra est de ratione formali alterius. Et quidem, si comparatio fiat inter formas disparatas re, & ratione distinctas, perspicuum est non fieri veram prædicationem, etiam si insint eidem subiecto, ut patet in speciebus sub eodem genere contradiiis, non enim dicitur, *calor est siccitas*. Ratio verò est, quoniam huiusmodi formæ mutuo præscindunt, nec habent aliam unitatem, quam in subiecto: hæc verò non importatur per nomina abstracta, quare non possunt mutuo vere prædicari. Restat itaq; explicandum quomodo se habeant enunciationes constantes, prædicatis subordinatis in recta serie, vel disparatis habentibus identitatem realem cum distinctione formali, vel ex natura rei, vel secundum rationem ratiocinatam.

II. Aliqui inter quos est Sotus q. 3. vniuersal. art. 2. §. i. existimant omnia, quæ sunt prorsus eadem ex natura rei, & sola ratione distinguuntur, vere prædicari de se ipsis, etiam si significantur per nomina abstracta. Fundamentum est, quoniam enunciatio affirmatiua est signum identitatis inter prædicatum, & subiectum, à parte rei: hæc verò datur in omnibus illis, quæ sola ratione distinguuntur: ergò vere possunt de se mutuo prædicari. Et confirmatur, quoniam propositio ideo solù est vera, vel falsa, quia confirmatur obiecto ipsi, prout est extra intellectum: distinctio verò rationis solum est per intellectum, nec inest subiecto ipsi à parte rei: ergò non impedit veritatem propositionis. Secundo, si distinctio rationis sufficit, ut abstracta, non prædicantur vere, nulla omnino prædicatio abstracti de abstracto erit vera: Consequens est falsum: ergò & antecedens. Sequela ostenditur, quoniam præ-

dicatum, & subiectum cuiusvis propositionis non identice ratione distinguuntur; Assumptio verò constat, quoniam communis sententia concedit in abstractis accidentium dari genera, & species quæ verè prædicantur de suis inferioribus.

Contra verò obiici potest, quoniam fieri potest, ut aliqua nullo modo distincta ex natura rei, concipiantur sub diuersis rationibus mutuo præcisis: hoc dato non possunt vere de se inuicem prædicari: quare sola identitas ex natura rei, non sufficit, ut vnum abstractum de altero prædicetur. Maior propositio probatur: quoniam quæcunque ratione distinguuntur, concipi possunt præcise, quatenus distinguuntur, actualis enim distinctio rationis completur conceptionibus præcisiuis vnius rationis ab altera: atque adeo quidquid ratione distinguitur ab alio, concipi, & significari potest cum præcisione ab eodem. Assumptio verò probatur, quoniam ut est sententia Diui Thomæ cap. 3. de ente & essentia, & communis, quæcunque verè de se mutuo prædicantur, significari debent per modum totius, & vnumquodq; dicere, vel formaliter, vel connotatiue totum, quod est in alio: cum verò sint plures rationes formales mutuo præcise, nulla dicit totum quod est in alia, repugnat enim, ut mutuo præscindant à rationibus aliarum, & eas simul significant. Hac de causa natura generis, & differentie specificæ, quamuis non distinguantur ex natura rei, sed sola ratione ratiocinata abstracte sumptæ, non vere prædicantur de se mutuo, ut docet Henricus in sum. artic. 75. quæstion. secunda, & aliqui recentiores, item intellectus, & voluntas etiam in sententia eorum, qui censent ex natura rei non distingui, non est dicendum verè prædicari inuicem.

Hæc controuersia solum procedit de mutua prædicatione in abstracto, duarum formarum sola ratione differentium. Vtrum verò quidquid prædicatur de vna, dicatur etiam de altera, non disputatur hoc loco, dicam verò hoc ipso tractat. capit. 9. Est vero propria huius loci controuersia per distinctionem dirimenda. Nam si intelligatur de prædicatione vera in sensu formali, non est simpliciter vera sententia Soti, ut ostendam inferius c. 11. & 12. Est aut vera si intelligatur in sensu identico, ut constabit c. 13. Ad argumentum quo impugnatur sententia Soti, quatenus dissadueratur: negada est assumptio si intelligatur de prædicatione identica, in quo sensu probatur sententia Soti: nam rationes mutuo

præcise

III.

S. Thom.

Henricus.

IV.